

160.

Disfertatio  
DE  
MORBIS NAUTARUM  
INDIÆ,

---

Quam,  
*Experientissimæ Facult. Medicæ Consensu*

Sub Præsidio

*Viri Generosi*

D:NI. CAR. V. LINNÉ,

*Archiatri Regii & Equitis Aur. de Stella Polari*

Pro

Gradu Doctoris

*proponit*

Carolus Henr. Wånman

*Uplandus.*

*Chirurg. primarius Svec. Soc. Nav. Indiæ,*

*Reg. Ac. Scien. adscriptus*

ad

diem V. Nov. in Audit. Carolin. Maj.

Anni MDCCLXVIII.

Horis a. & p. m. solitis.

---

UPSALIÆ,

Apud JOH. EDMAN, Reg. Acad. Typogr.

*Refused*



B. L.

**A**nte breve tempus ex itinere Indico redux, easdem quantocius repetere terras jubeor. Temporis igitur angustia ex collectionibus meis & observationibus, sub longa hac & perdifficili navigatione apud ægrotantes institutis, multa depromere vetat. Fructus autem, quos jam indies colligo, tranquillum aliquando nactus portum, uberius exponere conabor. Hanc interim pagellam, tempori magis quam desiderio meo adcommodatam, Tuæ, Candide Lector, fidei ac censuræ benigniori commendo.

---

Th. I.



**M**ORBI CHRONICI in itinere navali, a caloris & frigoris vicissitudinibus, indeque interrupta transpiratione exsurgunt varii, utpote *Icterus*, *Ascites*, & *Tympanites*, quos morbos antecedunt alvi obstipatio, & excretionum alvinarum color mutatus.

Th. II.

**FEBRIUM EXANTHEMATICARUM** Indiæ Orientalis, Chinæ finitimæ, pessima est *Miliaria*, tam *Rubra* quam *Alba*, quæ videtur Indiæ *Endemia*; minus tamen frequens est indigenis, quod aquæ salis lavacro quotidie fere utantur, quam nautis nostris, ejusmodi

modi lotione vacantibus. Hanc effici crederem a calore intensissimo diei, cum frigore humido penetrante noctis alternante; unde poris apertis corpus bibulum attrahit copiosius aërem vitiatum, sub ipso somno.

Th. III.

FEBRES EXACERBANTES, imo etiam rebelles TERTIANÆ, sæpius nautas nostros infestant. Has derivo ab aqua sub itinere putrescente, non modo ad sentinam navis, verum etiam in ipsis doliis, pro potu quotidiano asservatis, pessimumque halitum spirantibus.

Th. IV.

CHOLERA INDICA *Saum. Nos. Meth. IX. p. 131.* frequentissimus morbus nautarum est, cum primum Indias attingere. Oritur hæc a mutata diætâ, & imprimis ab esu carniû Testudinum, & fructuum præcipue Citreorum minimorum & acidissimorum, quæ nomine *Lemties* prostant in China. Quorum succus loco Limonii adhibetur in pauperiorum confectioe Polopuntia. Curatur opio, Decocto oryzae & altheæ.

Th. V.

VERMES se comites sistunt plurimis morbis, qui propagantur procul dubio ab aqua diu asservata & putrescente hausta, cum hæc vermiculis numerosissimis scateat. Hos inter *Teniam* observavi, eamque debellavi pulvere Lithantracis in spir. vini hausto.

Th. VI.

PERIPNEUMONIA levior, circa Novembrem in Chi-

China, infestabat plurimos, dum aër e calido in frigidiorē transibat. Insurgebat hæc cum febre levi, pulsu citatiore sed debili, suffocatione pectoris, & exspu-  
 itione copiosissima, rarius licet cruenta. Hanc domui  
 Vesicatorio amplo pectoris, scilla, & kerme minerali.

Th. VII.

SIPHILIS in China magis exteriora, quam inte-  
 riora corporis occupat, relictis sæpe genitalibus & fau-  
 cibus.

Th. VIII.

SCORBUTUS, imprimis sub reditu ex Indiis,  
 superato Capite Bonæ spei, plurimos vexabat. Miti-  
 gatur vero esu carniū Testudinū, quas copiose  
 legimus ad insulam Adscensionis; ubi hæ, in Calce  
 Testudinea sub nocte, ova sua deponunt; at vero  
 recrudescit magis Europam propius, ultimo in  
 itinere infestissimus. Tollitur in primis potu  
 Polopuntia & fructibus  
 horais.

